



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

4. An actio reuocandi donationem transeat ad hæredes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

donatum induit rationem contractus. Vt decidit leg. si dorem Cod. de iure dorum, ibi licet cum ingratis circa vos fuisse ostenditur, & leg. si pater pro filia Cod. de collat. dot. & tradit Greg. Lop. leg. 10. tit. 4. par. gloss. 1. Gutier. de iur. p. c. 10. 4. & multi alij.

Temperat autem Ripa in leg. fin. q. 51. Cod. de reuocand. donat. ne habeat locum in dote simpliciter puellae constituta ab extraneo, sed solum quando obligatur certo viro nubere, quia in priori casu non est censenda dos data ex causa onerosa, sed ueracitua, bene tamen cum certo viro concessa est. Consentit Arias Pined. in leg. 1. Cod. de bonis matern. 3. p. m. 62. Sed rectius Gutier. contrarium censet, nam causa doris simpliciter constituta onerosa est, siquidem obligatur puella ad matrimonij onus sustinendum.

Secundo temperat Greg. Lop. in d. leg. 10. Gloss. 2. ne procedat in dote constituta ab extraneo post matrimonium solum, nam cum dos (inquunt) comparatione mulieris fit ex causa lucretiua, tamen comparatione viri fit onerosa, esto ob ingratitudinem mulieris non possit viro liberari dos promissa, bene tamen mulieri ingrat. postquam ad eam potestatem peruenit. Si autem a parente dos fuisset constituta, censent predicti locum non esse reuocationi, quia dos respectu parentis non sortitur naturam donationis liberalis, sed debita.

Ceterum neque hanc restrictionem censet esse admittendam, quia eo ipso quo mulier nupte dorem ex causa onerosa acquirit, quae dissoluto matrimonio infirmari non potest ob eius vel viri ingratitudinem. Maxime cum praesum non possit vir ducturus uxorem, si sciret dorem sibi, vel eius filius ob ingratitudinem adimendam fore. Atque ita docent Gutier. d. cap. 10. n. 4. Mol. disp. 281 §. hinc etiam.

Duo autem debent tibi esse certa, Primò donationem factam Ecclesiae, monasterio, alteriue in eo ipso ob ingratitudinem praetati, seu administratoris non reuocari. Tum quia non est ingratitudo donatarij cum non administratori, vel praetato, sed Ecclesiae donatio facta sit. Tum quia facta est causa religionis, vel pietatis, quae superueniente ingratitudine elidi non debet. Vt aduertit Clar. in 4. sentent. §. donat. q. 21. n. 4. Less. lib. 2. cap. 18. d. 10. 14. num. 109.

Secundo pro certo habe collationem beneficij non infirmari ex ingratitudine in collatore, quia confertur non donat, sed donanda ex potestate Ecclesiae distribuit, ideoque potius executoris quam donatoris munus subit. Sic Ioan. Andr. cap. ult. num. 9. d. donat. Iulius Clarus d. quae. 21. num. 6. Molin. disp. 281. in fine.

§. IV.

An actio reuocandi donationem transeat ad haeredes?

- 1 Actio reuocandi donationem ob ingratitudinem non transeat ad haeredes.
- 2 Intelligitur, cum conscius fuit donator iniuria, donationemque reuocare potuit.
- 3 Si instituit donator actionem reuocatoriam, aut extra iudicium significauit se velle donationem reuocare, possunt haeredes agere ad reuocationem.
- 4 Ad idem est si ex pacto donatio reuocaretur, aut ipso iure.
- 5 Ob ingratitudinem qua respicitur non exsequendis conditionibus donationi appropositis bene possunt haeredes reuocare.
- 6 Ob ingratitudinem donatarij non potest donator aduersus donatarij haeredes actionem intentare.
- 7 Si res tradita non esset, bene possent haeredes excipi a donatore.
- 8 In defunctum donatorem, si cui in viuum ingratitudo committi potest.

Actio competens donatori pro donatione reuocanda ex causa ingratitudinis non transeat ad haeredes, sed morte donantis extinguitur tradunt communiter Doctores in leg. fin. Cod. de reuocand. donat. & cap. fin. de donat. & leg. regia. 10. tit. 4. par. 6. teste Titacq. in leg. si unquam verbo susceperit liberos n. 172. Ratio est, quia haec actio competit donanti ob iniuriam acceptam, at actio iniuriarum morte extinguitur. leg. iniuriarum in prin. ff. de iniuriis leg. si cum §. qui iniuriarum ff. si qui caueant. item actio ex delicto finitur morte. leg. 1. Cod. de ex delicto defuncti. leg. ff. de priuat. d. lib. 1. L. enim actio iniuriarum non censetur esse in bonis nostris ante litem contestatam, cum non sit rei persecutio, sed iniuria illatae vindicta. leg.

cum emancipatus §. emancipatus & ibi Gloss. ff. de collat. bonor. Præterquam quod donans offensus reuocationem non intendens censetur offensam remississe.

Quapropter communiter Doctores in d. leg. ult. & cap. ult. id intelligunt cum donator conscius ingratitudinis fuerit, eamque potuerit vindicare, & omiserit, tunc si iniuria ignarus fuit, vel ab intencanda reuocatione impeditus ob celerem mortem, vel alia de causa. Non enim censendus est defunctus ingratitudinem remississe, cum eam vindicare non potuerit. leg. res factes ff. de patris & leg. mater decedens ff. de inoff. testam. leg. ult. Cod. de annui excepti, & colligitur aperte ex dicta leg. ult. Cod. de reuocand. donat. a contra o sensu, si negatur ius haeredibus donantis reuocationem intendendi, quia donator tacuit, at ignarus ingratitudinis, & impotens reuocationem prosequendi dici nequit tacere, quia hic loqui non potest. leg. si quis in graui §. mutuum ff. ad Syllentium. cap. qui tacet de Reg. iur. in 6.

Verum si in vita animum ostendit paratum ad instituendam actionem donationis reuocationis, vel quia extra iudicium donationem reuocauit, vel rem donatam a donatorio abstinuit, alteriue concessit, vel de ingratitudine conquestus est, vel cepisset, aut se ad reuocationem preparasset, vel dum venisset ad mouendam litem mortuus est, transit facultas intendendi reuocationem ad ipsius donantis haeredes, vt bene aduertit Francisc. Ripa in d. leg. ult. Cod. de reuocand. donat. quae. 6. n. numer. 208. & alij passim.

Ad idem est, si ex pacto appposito, aut alijs ob ingratitudinem ipso facto donatio reuocaretur, quia tunc ius petendi declarationem reuocationis ad haeredes, & successores transferit, tamen si ius reuocandi non esset in vita donatoris preparatum. Vti reatis pluribus testatur Greg. Lop. & Matien. supra.

Similiter etiam transit ad haeredes ius reuocandi donationem ex ingratitudine proueniente ex non impleris conditionibus promissis, vt ex communi testatur Ripa in d. leg. ult. q. 63. d. 108. & Matien. d. leg. 7. G. ff. §. n. 13. tit. 10. lib. 1. compit. subditque Matien. rationem differentiae, nam in alijs causis ingratitudinis reuocatur donatio contra iuris regulas ideoque non transit ad haeredes haec reuocandi facultas vt potest odiosa. At ob non impleris conditiones reuocatur donatio iuxta regulas iuris, & ex naturali aequitate, merito ergo ad haeredes transire debet. Illud vero est certum posse donatarium ab haeredibus donantis compelli vel conuentiones exequi, vel a donato abstinere, vt aduertit Mol. disp. 281 §. circa quatuor.

E contra vero est difficultas, An aduersus haeredes donatarij institui ad donatorem actio reuocatoria possit? Et videtur pars affirmans probari ex l. g. ult. Cod. de reuocand. donat. argum. a contrario sensu, ibi enim decidit textus, si donator tacuerit non posse haeredes illius accusare donatarium, vel eius haeredes. Ergo si donator non tacet, sed reuocationem intenter, poterit aduersus donatarij haeredes procedere, sed communis sententia asserit donatorem non posse ob ingratitudinem donatarij aduersus ipsius donatarij haeredes actionem reuocatoriam intentare, cum in vita donatarij tacuerit, vt dicta lex vii. indicat, & quæ de donante & eius haeredibus, ac de donatorio, & eius haeredibus loquens. Haeredes autem donantis possunt actionem aduersus donatarium intentare, ergo neque donator aduersus haeredes donatarij, Præterea actio iniuriarum nec datur haeredi iniuriati, nec aduersus haeredes iniuriantis. leg. iniuriarum actio ff. de iniuriis. Ergo neque conditio donationis quæ ex iniuria nascitur. Item haec actio ex ingratitudinis delicto descendit, sed delictum non afficit haeredes delinquentis, ergo neque actio ex illo proueniens, vt probat Textus in §. in omnes instit. de perpetuis, & temporal. actionib. Denique aduersus haeredes adulteræ pro lucro doris lis moueri non potest, si maritus habeat adulterij notitiam in vita uxoris litem non iterauit.

Si tamen donator rem donatario non tradidisset, bene possent haeredes donatarij ingratit excipere ab actione exigendi donatum, minus enim requiritur ad excipiendum, quam ad agendum. argum. leg. ult. Cod. de a iur. ex leg. filio §. si ff. de adimend. legat. & tradit Gregor Lopez d. leg. 10. in fine & alij multi.

Ad extremum aduerte donatarium defuncto donatori posse se ingratum ostendere, si cum infamet, & alia iniuria atroci eum afficiat, potest enim mortuo securi & viuo iniuria irrogari. leg. 1. §. ut si forte ff. de iniuriis & leg. sed si quis §. in d. ex ff. de religio. & sumptib. funor. & pluribus comprobatur Molina de prim. g. lib. 1. capite 9. armer. 48. Quo casu haeredes donantis agent ad reuocandam donationem tanquam ab indigno, vt probat Textus in leg. 1. ff. de his quibus re indigni. ibi, cum patrum suum post mortem quis illicita mercis negotiorum detulerat, & notat plures referens Molina dicto capite 9. numer. 44.

